

Sinite utraque crescere usque ad messem.

✠ Lécitio sancti Evangélii
secúndum Matthæum

13, 24-30

In illo témpore:

- ²⁴ **A**liam parábolam propósuit Iesus turbis dicens:
«Símile factum est regnum cælórum
hómīni, qui seminávit bonum semen in agro suo.
- ²⁵ Cum autem dormírent hómīnes,
venit inimícus eius
et superseminávit zizánia in médio trítici et ábiit.
- ²⁶ Cum autem crevísset herba et fructum fecísset,
tunc apparuérunt et zizánia.
- ²⁷ Accedéntes autem servi patris famílias
dixerunt ei:
“Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo?
Unde ergo habet zizánia?”.
- ²⁸ Et ait illis:
“Inimícus homo hoc fecit”.
Servi autem dicunt ei:
“Vis, imus et collígimus ea?”.
- ²⁹ Et ait:
“Non, ne forte colligéntes zizánia
eradicétis simul cum eis tríticum,
- ³⁰ sínite útraque créscere usque ad messem.
Et in témpore messis dicam messóribus:
Collígite primum zizánia
et alligáte ea in fascículos ad comburéndum ea,
tríticum autem congregáte in hórreum meum”».

Verbum Dómini.